Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Esrom anno mundi 3494 · Aram vero anno mundi 3444 ·:

Linea Cristi

Esrom

Hoc tempore regnum argivorum ubi Inachus Oceani et terre (ut aiunt) filius sexagesimo a nativitate Isaac anno apud argos in Thessalia primus regnare cepit / Id vero regnum duravit annis 544 · Cecrops autem egyptius quarto et nonagesimo iudaice servitutis anno regno argivorum relicto primus atheniensibus regnavit annis 50 · annis

Mathus



Athene Civitas fuit preclarissima in attica regione Cuius pauca vestigia quedam manent / hanc primo ab alabando condita dixit Cicero libro tertio de natura deorum / Plato vero in Timeo dixit Amasim regem Egipti eius urbis conditorem fuisse / Eamque vocabulo egiptio cognominasse quod lingua greca Athenam sonat / Alii Cecropem illam condidisse dicunt / Et eam subita apparitione arboris olive Minerva cognominasse quam ea arbor designat / Et lingua greca athena dicitur / Verum alii ab eo non conditam sed instauratam putant / quo tempore Athena apud illos pro dea colebatur / De eius nomine Divus Augustinus de civitate dei libro decimo octavo varia scribit auctoritate Varronis / Cecrope Athenarum urbem instaurante subito aqua unde in loco erupit. Et alio repta olea arbor / super quibus prodigiis consultus Apollo Delphicus quid intelligendum, quid ve faciendum foret respondisse fertur / Quod olea minervam, aqua vero neptunum significare ambo consobrini ambo dii et contemporanei / Esset in eorum civium arbitrio ut ex alterius duorum deorum nomine civitas vocaret. Congregatis omnibus utriusque sexus viri adheserunt neptuno / Mulieres vero Minerve / Que et obtinuerunt ut ex minerve nomine Civitas appellaretur / Ac sic Athenam grece urbem cognominaverunt quod latine Minervam dicimus / Eo quod mulierum votis una virorum numerum superassent / Quamobrem iratus neptunus Marinis estuantibus undis Atheniensium terras populatus est / Quem Cives placare volentes triplici supplicio mulieres affecere. Primo ut deceptero nullis publicis interessent consultationibus / Secundo ut nullus nascentium cognomen maternum acciperet / Tertio ne quis filias suas Athenas vocaret / Poete vero dicunt Neptunum et Minervam Athenas condidisse / Sed cum de nominis impositione inter eos fieret dissensio · Diis reliquis presentibus fit inter eos convencio. Ut qui percussa terra laudabiliorem produceret effectum urbi nomen imponeret / Neptunus aut tridente suo percussa terra Equum produxit belli omen / At minerva hasta projecta olivam produxit pacis Arborem / Que cum melior eorum iudicio visa fuit / ex suo Nomine athenas dixit / Nam Minerva Athene grece dicitur / de quo lucanus libro sexto ait / Primus ab equorea percussis cuspide saxis / Thessalicus sonipes bellis feralibus omen / Exilit / Et virgilius Georgicorum primo / Tuque o cui prima frementem fudit equum tellus percussa tridente Neptune / Apud Athenienses primo regnavit Cecrops Egiptius anno quarto et nonagesimo iudaice servitutis / denique septimus et ultimus eorum Rex fuit Codrus tempore samuelis postea per magistratus res publica atheniensium fuit administrata / licet urbs atheniensis quondam nobilissima fuit / nullius indigna preconiis tanta eius supplevit claritas: doctorum philosophorum ac omnis doctrine liberalis fuerat / Eadem nostro tempore parvi oppidi speciem gerit / In eo tamen saxo quo vetusta minerve templum fuit Arx est per omnem greciam nominata tum operis magnitudine / tum difficultate oppugnationis / hanc florentinus quidam Mahometo tradidit · Cum imploratis latinorum auxiliis nullius opem inveniret / Vita eius ob eam rem tradidit In quis enim ignobile durat

Aram

Athene vel Minerva